

## CAPUT VII.

(a) **ET** convaluerunt ad eum pharisæi, & quidam de scribis, venientes à Hierosolymis; & cum vidissent quosdam ex discipulis ejus communibus manibus, id est non lotis, manducare panes, vituperaverunt. Pharisæi enim, & omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant; & alia multa sunt quæ tradita sunt illis servare; baptisimata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum. Et interrogabant eum pharisæi, & scribæ: Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem? At ille respondens dixit eis: Bene prophetavit Esaias de vobis, hypocritæ, sicut scriptum est: Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est à me. In vanum autem me colunt docentes doctrinas, & præcepta hominum. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum, baptisimata urceorum, & calicum, & similia his facitis multa. Et dicebat illis: Bene irritum fecistis traditionem vestram scrveris. Moyses enim dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam; & Qui maledixerit patri, vel matri, mortem moriatur. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri: Corban, quod est donum, quodcumque ex me, tibi profuerit, & ultra non dimittis eum quicquam facere patri suo, aut matri, rescindentes verbum Dei per traditionem vestram quam tradidistis. Et similia hujusmodi multa facitis.

(b) Et advocans iterum turbam, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite. Nihil est extra hominem introiens in eum quod possit eum coquinare; sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ coquinant hominem. Si quis habet aures audiendi, audiat. Et cum introisset in domum à turba, interrogabant eum discipuli ejus parabolam. Et ait illis: Sic & vos imprudentes estis? Non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominem non potest eum coquinare: quia non intrat in cor ejus, sed in ventrem vadit, & in secessum exit, purgans omnes escas? Dicebat autem, quoniam illa quæ de homine exeunt, illa coquinant hominem: ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritia, nequitia, dolus, impudicitia, oculus malus, blasphemia, superbia, & stultitia. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & coquinant hominem.

(c) Et inde surgens, abiit in fines Tyri, & Sidonis: & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere. Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit, & prociad ad pedes ejus: erat enim mulier Gentilis, Syrophenissa genere. Et rogabat eum ut dæmonium ejiceret de filia ejus. Qui dixit illi: Sine prius saturari filios: non est enim bonum sumere panem filiorum, & mittre canibus. At illa respondit, & dixit illi: Utique Domine: nam & canes comedunt sub mensa de micis puerorum. Et ait illi: Propter hunc sermonem, vade: exiit dæmonium à filia tua. Et cum abiisset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, & dæmonium exiisse.

(d) Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei furdum & mutum, & deprecabantur eum ut imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculum ejus, & expuens tetigit linguam ejus, & suspiciens in cælum ingemuit, & ait illi: Ephetha, quod est adaperire. Et statim aperta sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur dicentes: Bene omnia fecit, & furdos fecit audire, & mutos loqui.

(a) **B**eda (cap. 29. in princ.) Homines terre Genesareth, qui minus doceri videbantur, non solum ipsi veniunt, sed & suos infirmos adducunt ad Dominum, ut vel similitudinem ejus mereantur contingere. At veteri pharisæi, & scribæ, qui doctores esse populi non lotis, manducare panes, vituperaverunt. Theophylactus (in princ. Comment.) Discipuli namque

que Domini instructi ea quæ virtutis tantum sunt operati, non lotis manibus simpliciter comedebant. Pharisæi autem volentes occasionem invenire, hoc acceperunt; & non utique vituperabant eos, ut Legis transgressores, sed quia traditiones seniorum transgrediebantur: unde sequitur: Pharisæi enim, & omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum. Beda (cap. 29. non remote à princ.) Spiritualia enim Prophetarum verba carnaliter accipientes, quæ illi de cordis, & operis castigatione præcipiebant, dicentes, Esai. 1. Lavamini, & mundi estote: & ibid. 52. Mundamini qui fertis vasa Domini, nisi de corpore solo lavando servabunt. Superstitiosa ergo est hominum traditio, semel lotos ob manducandum panem crebrius lavare, & à foro, nisi baptizentur, non comedere. Sed necessarium est eos qui panem de cælo descendente participare desiderant, crebro elemosynis, lacrymis, & aliis justitiæ fructibus sua opera purgare. Necessarium etiam est inquinamenta, quæ ex temporalibus negotiorum, curis quicquam contraxerit, subsequenti honorum cogitationum, & actu permundat instantia. Frustra autem Judæi lavant manus, & à foro baptizantur: quamdiu contemnunt fontem abluvi Salvatoris: in vanum baptisma servant vasorum qui corporum suorum, & cordium negligunt abluere sordes.

Sequitur: Et interrogabant eum pharisæi, & scribæ: Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem? (1) Hieronymus super Matth. (cap. 15.) Mira pharisæorum, scribarumque stultitia. Dei Filium arguunt quare traditiones hominum, & præcepta non servet. Commune autem (2) hic pro immundo ponitur: populus enim Judæorum, partem Dei se esse jactitans, communes cibos vocat quibus omnes utuntur. Hieronymus (ibidem.) Pharisæorum autem superfluum latrum furca rationis obrundit, id est Moysi, & Esaiæ (3) interpretatione, ut nos adversantes hæreticos verbo Scripturæ vincamus: unde sequitur: At ille respondens ait: Bene prophetavit Esaias de vobis, hypocritæ, sicut scriptum est: Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est à me. Chrysostr. (hom. 52. in Matth.) Quia enim non de legis transgressione, sed seniorum, discipulos accusabant, injuriose ipsos confundit, hypocritas vocans, quasi commendantes cum reverentia quadam id quod non conveniebat. Superaddit autem Esaiæ S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) Al. Chrysostr. (2) Al. hoc. (3) Legit Nicolai increpatione.

Ex edit. P. Nicol. (a) Seu potius Victor Antiochenus ubi supra. (b) Colligitur potius ex Victore Antiocheno ubi supra.

Propheta verbum, quasi de eis dictum: ac si diceret: Sicut hi de quibus dicitur, quod Deum labiis honorant, cor autem eorum ab eo longe est, in vanum pietatem custodire se dicunt, doctrinas hominum honorantes; ita & vos qui derelinquitis id quod interius curabile est, & justitiam colentes accusatis. Hieronymus (cit. prin. Comment. in cap. 7. Matth.) Traditio autem pharisaica in mentis, & vasis abscondenda est, & radenda: sæpe enim traditionibus hominum mandata Dei cedunt: unde sequitur: Derelinquentes mandata Dei, tenetis traditiones hominum, baptisimata urceorum. Chrysostr. (hom. 52. in Matth. int. princ. & med.) Ut autem eos arguat tanquam Dei reverentiam non servantes, propter traditionem à senioribus factam, divinis Scripturis oppositam, subiungit: Moyses enim dixit: Honora patrem, & matrem tuam; & Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Beda (cap. 29. in Marc. ante med.) Honor in Scripturis non tantum in salutatione, & officiis deferendis, quantum in elemosyna, ac munerum collatione sentitur. „Honora (inquit Apostolus 1. Tim. 5.) viduas, quæ vere viduæ sunt.“ (Chrysostr. (a) Tali autem existente divina lege, ac talibus ministris transgrediens illatis, vos de levidivinum transgredimini præceptum, observantes seniorum traditiones: unde sequitur: Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, aut matri Corban, quod est donum, quodcumque ex me tibi proderit: supple, liber erit ab observatione præmissi mandati: unde sequitur: Et ultra non dimittitis eum quicquam facere patri suo, aut matri. Theophylactus (inter princ. & med. Comm. in 7. cap. Marc.) Volentes enim pharisæi quæ offerebantur comedere, instruebant filios, quod cum peculia aliqua habebant, & parentes hæc peterent, responderent illis: Corban, hoc est donum, quod à me petis, jam obtuli Domino: & ita hæc non exquirent, quasi Domino oblata, id est ad salutem parentum proficua: & sic decipiebant filios, ut parentes non honorarent, & ipsi oblata devorarent. Hoc ergo Dominus exprobrat eis, quia propter lucrum legem divinam transgrediebantur: unde sequitur: Rescindentes verbum Dei per traditionem vestram quam tradidistis. Et multa similia hujusmodi facitis, scilicet transgredientes præcepta Dei, ut observetis hominum traditiones. Chrysostr. (b) (hom. 32. in Matth. ante med.) Vel potest dici, quod pharisæi juvenes docebant, quod si quis pro injuria patri, aut matri illata

mūnus offerret Deo, erat immunis, quasi Deo dans mūnera quæ patri debentur; & hoc dicentes honorati non permittēbant. *Beda* (cap. 29. in Mar.) Potest autem & hunc breviter habere sensum. Mūnus quod ex me est, tibi proderit. Compellitis, inquit, filios ut dicant parentibus suis: Quodcumque donum oblaturus eram Deo, in tuos consumo cibos, tibi que prodest, o pater, & mater; quasi dicant, non prodest; ut sic illi timentes accipere quod Deo videbant mīcipatum, inopem magis velent vitam ducere, quam edere de consecratis. *Hieronymus* (circ. princ. Comm. in 7. cap. Mar.) Mystice autem discipulos non lotis manibus manducare, futuram Gentium communionem significat. Munditia, & baptisma pharisaicum sterile est: communicatio non lota apostolica extendit palmites suos usque ad mare.

**(h)** *Chrysostrmus.* (a) Judæis considerantibus corporalem munditiam legis, & de hac murmurantibus, Dominus contrarium vult introducere: unde dicitur: *Et advocans iterum turbam, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite. Nihil est extra hominem introiens in eum quod possit eum coinquinare; sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ coinquinant hominem; id est, immundum faciunt.* Ea enim quæ Christi sunt, intra hominem considerantur; ea vero quæ legis sunt, magis cernuntur extra hominem; quibus quasi corporalibus crux Christi finem in brevi dare debebat. *Theophylactus* (Mar. 7. super *Nihil est extra hominem introiens in eum*). Hoc autem Dominus dicit volens instruere homines, quod observationes escarum, quas lex commemorat, non oportet corporaliter intelligere; & ex hoc intentionem legis eis manifestare incepit. *Chrysostrmus.* Subjungit autem: *Si quis habet aures audiendi, audiat.* Non enim manifeste aperuerat quæ essent illa quæ de homine procedebant, & hominem coinquinant; & propter hoc verbum Apostoli crediderunt quod aliud profundum prædictus Domini sermo innumeret: unde sequitur: *Et cum introisset in domum à turba, interrogabant eum discipuli ejus parabolam.* Parabolam autem immanifestum sermonem vocabant. *Theophylactus* (Mar. 7. in med.) Dominus autem prius increpat: unde sequitur: *Et ait illis: Sic et vos imprudentes estis?*

(1) *Licet omnia quæ vidimus exempla sic habeant, tamen P. Nicolai sub Theophylacto sic reponit.* Oportet prudens lector, & dicat: Quare igitur idolothytis non vescimur? Sciendum ergo, quod idolothytum per se immundum dici (non) debet. *Beda.* In quantum cibis, & creatura Dei est; sed idolothytum, seu demonum invocatio facit immundum. Et causam subdit &c. (2) *Al.* perveniat. (3) *Al.* mittitur per. (4) *Al.* mutatur. (5) *Al.* Chrysostrmus.

Ex edit. P. NICOL. (a) Immo Victor Antiochenus ubi supra. (b) Colligitur ex quæst. 39. (c) Quod subjungitur ex Glossa, non habetur in illa quæ nunc extat, ut nec aliud quod præmittitur superius; locum tamen ex Augustino habet ut hic in textu, est absque indice loci.

*Beda.* Vitiōsus enim est auditor qui obscura manifeste, aut manifeste dicta obscure vult intelligere. *Theophylactus.* Deinde Dominus manifestat id quod erat occultum, dicens: *Non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominem non potest eum coinquinare?* *Beda* (cap. 29.) Judæi (1) enim se partem Dei iactantes, communes cibos vocant quibus omnes homines utuntur, ut ostrea, lepores, & hujusmodi animalia. Nec etiam idolothytum, in quantum cibis, & Dei creatura est, sed demonum invocatio hoc facit immundum. Et causam subdit, dicens: *Quia non intrat in cor ejus.* Animæ locus principalis, juxta Platonem, in cerebro, sed juxta Christum, in corde est. *Glossa.* Dicitur ergo, *In cor ejus*, id est in mentem, quæ est principalis pars animæ, ex qua tota hominis vita dependet: unde secundum eam necesse est hominem mundum, vel immundum æstimari; & sic ea quæ ad mentem non perveniunt, non possunt homini immunditiam afferre. Cibi ergo, quia ad mentem non perveniunt, secundum suam naturam hominem inquinare non possunt; sed inordinatus ciborum usus, qui ex inordinatione provenit mentis, ad hominis immunditiam (2) pertinet. Quod autem cibi ad mentem non perveniant, offendit (3) per id quod subdit, dicens: *Sed in ventrem vadit, & in secessum exit, purgans omnes escas.* Hoc autem dicit, ne intelligatur quod inde ex cibis in corpore maneat. Manet enim quod est necessarium ad corporis nutrimentum, & augmentum; egreditur autem quod est superfluum, quasi purgatio quedam interius remanentis nutrimenti. *Augustinus* in Lib. 83. Quæst. (b) (quæst. 73.) Quædam enim sic accedunt ut etiam mutant, & mutantur; sicut & ipse cibus amittens speciem suam, in corpus nostrum vertitur, & nos resecti in robur (4) commutatur. Sed & tenuissimus humor, cum in venis, & aliis arteriis cocta fuerit esca, & digesta, per occultos meatus, quos Græci poros vocant, dilabitur, & in secessum vadit. *Beda* (cap. 29. cir. fin.) Sic ergo cibi non faciunt homines immundos, sed malitia, quæ operatur passiones ab interioribus procedentes: unde sequitur: *Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa coinquinant hominem.* (5) *Glossa.* (c) Cujus rationem

significat cum subdit: *Ab intus enim de corde hominis cogitationes male procedunt.* Et sic patet quod male cogitationes ad mentem pertinent, quæ hic cor nominantur; secundum quam homo dicitur bonus vel malus, mundus vel immundus. *Beda* (cap. 29.) Hinc autem arguuntur qui cogitationes à diabolo immitti putant, non ex propria nasci voluntate. Diabolus incensor, & adiutor malarum cogitationum esse potest; (1) auctor esse non potest. *Glossa.* Ex malis autem cogitationibus ulterius mali actus procedunt; de quibus subditur: *Adulteria*, quæ in violatione alieni tori consistunt, *fornicationes*, quæ sunt illiciti coitus personarum matrimonio solutarum, *homicidia*, quibus in personas proximorum nocumentum infertur, *furta*, quibus res subtrahuntur, *avaritia*, in quantum aliqua injuste retinentur, *nequitia*, quæ consistunt in proximorum calumniis, *dolus*, in eorum deceptione, *impudicitia*, quantum ad quamlibet corruptionem mentis, vel corporis. *Theophylactus* (Mar. 7. parum ante med.) *Oculus malus*, id est odium, & adulator: nam qui odit, oculum malum, & invidium habet ad eum quem odit; & adulator non recto oculo videns quæ sunt proximi, ad malum ipsum deducit: *blasphemia*, id est injuriæ in Deum: *superbia*, id est Dei contemptus, dum scilicet quis bonum quod operatur, non Deo, sed suæ virtuti ascribit *stulticia*, id est injuria in proximum. *Glossa.* Vel stultitia est cum non recte de Deo sentitur: contrariatur enim sapientiæ, quæ est divinarum rerum cognitio. Sequitur: *Omnia hæc mala ab intus procedunt, & coinquinant hominem.* Hoc enim in culpam homini imputatur quod in sua potestate existit. Talia autem sunt quæ procedunt ab interiori voluntate, per quam homo est suorum actuum dominus.

(c) *Theophylactus* (Mar. 7. à med. Comment.) Postquam de eis Dominus docuerat, videns incredulos esse Judæos, fines ingreditur Gentium: Judæis enim infidelibus existentibus, salus ad Gentes convertitur: unde dicitur: *Et inde surgens abiit in fines Tyri, & Sidonis.* *Chrysostrmus.* (a) Tyrus, & Sidon loca Chananæorum erant. Venit igitur ad eos Dominus, non tamquam ad propinquos, sed tamquam ad eos quibus nihil est commune ad patres, quibus promissio facta est: & ideo sic venit, ut adventus suus Tyriis, & Sidonitis non apparet: unde sequitur: *Et ingressus domum neminem voluit*

*filio:* nondum enim tempus advenerat ut cum Gentibus habitaret; & eas ad fidem adduceret: hujus enim tempus debitum erat post crucem, & resurrectionem. *Theophylactus* (Mar. 7. à med.) Vel ideo clam ingreditur, ne occasionem Judæi sumerent contra eum; tamquam ad immundas gentes transisset.

Sequitur: *Et non potuit latere.* *Augustinus* de Quæst. nov. & ver. testam. (b) (cap. 77.) Si autem voluit, & non potuit, (2) infirma voluntas ejus esse videtur. Impossibile est autem ut Salvatoris voluntas non impleatur; nec potest velle (3) quod scit fieri non debere: idcirco quod factum est, hoc voluisse dicendus est. Advertendum est autem, quod istud in finibus gestum est Gentilium, quibus adhuc tempus prædicandi non erat; ultra tamen venientes ad fidem non suscipere invidiæ erant. Sic ergo factum est ut Salvator à discipulis proditus non esset, ab aliis tamen qui ingredientem domum viderant, proditus est, & incepit sciri quod esset in domo. A suis ergo noluit prædicari; requiri autem se voluit; & ita factum est. *Beda* (cap. 30. in Mar.) Ingressus etiam domum præcepit discipulis ne se cuiquam in regione ignota quis esset aperirent, ut exemplo ejus discerent, quibus sanandi infirmos gratiam conferret, in exhibitione miraculorum humani factoris gloriam quantum possent declinare, nec tamen à pio virtutis opere cessare, quando hoc fieri vel fides bonorum juste meretur, vel infidelibus pravorum necessario cogeret. Ipse enim suum illo introitum geniliæ feminæ, & quibuscumque voluit publicavit. *Augustinus* de Quæst. nov. & ver. testam. (quæst. 77.) Denique mulier Chananæa audiens de illo intravit ad eum; quæ nisi prius subjecisset se Deo, Judæorum beneficium consecuta non esset: de qua sequitur: *Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit, & prostravit ad pedes ejus.* *Chrysostrmus.* (c) Per hoc autem voluit Dominus discipulis ostendere quod etiam Gentibus aperuit ostium salutis: unde & mulieris genus describitur cum subditur: *Erat enim mulier gentilis Syrophœnissia genere*, id est de Syria Phœnicis.

Sequitur: *Et rogabat eum ut demonium ejiceret de filia ejus.* *Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 49.) Videtur autem asserre aliquam repugnantiam quæstionem, quia dicit in domo fuisse Dominum, cum ad illum venit mulier pro filia

(1) *Al.* & auctor. (2) *Al.* infirmata. (3) *Al.* quod sic fieri non deberet.

Ex edit. P. NICOL. (a) Immo potius Victor Antiochenus, est non eadem serie, sed quibusdam aliis interjectis. (b) Nempè Lib. 2. qui incipit *Deus perfectus est*; sed non est Augustini. (c) Et hæc iterum ex Victore Antiocheno colliguntur, ut & illa quæ inferius Chrysostrmi titulum præferunt, non sunt in Chrysostrmo

lia sua rogans. Sed quoniam Matthæus dicit. cap. 15. discipulos Domino ira suggestisse: „Dimittite illam, quoniam clamat post nos;“ nihil aliud videtur significare quam post ambulantem Dominum mulierem illam deprecatorias voces emisisse. Quomodo ergo in domo, nisi quia intelligendum est dixisse quidem Marcum, quod intraverit ubi erat Jesus, cum eum prædixisset fuisse in domo? Sed quia Matthæus ait, „Non respondit ei verbum,“ dedit agnoscere in eo silentio egressum fuisse Jesum, de domo illa; atque ita cetera contextuntur, quæ jam in nullo discordant.

Sequitur: *Quid dixit illi: Sine prius saturari filios.* Beda (cap. 20. in med.) Quasi dicat: Futurum est ut etiam vos, qui de Gentibus estis, salutem consequamini; sed prius oportet Judæos, qui merito antiquæ (1) dilectionis, filiorum Dei solent nomine censeret, panem cælesti rescici; & sic tandem Gentibus vitæ pabula ministrari.

Sequitur: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Chrysostr. Hoc autem verbum dixit: non quod in eo sit defectus virtutis ad beneficiendum omnibus, sed quia beneficium ejus distributum Judæis, & Gentibus, communionem inter se non habentibus, provocationem magis operaretur. Theophylactus (Mar. 7. à med. Comment.) Canes vocat Gentiles, tamquam à Judæis sceleratos reputatos; panem vero dicit beneficium, quod filiis, idest Judæis, Dominus promisit. Est ergo sensus, quod non decet Gentiles beneficii primo esse participes, quod Judæis principaliter promissum est. Ideo autem Dominus non statim exaudit, sed gratiam differt, ut etiam ostendat mulieris fidem constantem, & ut discamus non statim deficere cum oramus, sed ut insistamus donec recipiamus. Chrysostr. Similiter etiam ut Judæis ostenderet, quod non æqualiter eis dabat, & alienigenis sanitatem, & ut patefacta mulieris fide, magis patefieret infidelitas Judæorum. Mulier enim non graviter tulit, sed vocem Domini cum multa reverentia confirmavit: unde sequitur. *At illa respondit, & dixit ei: Utrique Domine: nam & catelli comedunt sub mensa de micis puerorum.* Theophylactus (ubi supra.) Quasi dicat: Judæi panem totum habent, scilicet descendente de cælo, & tua etiam beneficia; ego micæ postulo, scilicet modicam beneficii partem. Chrysostr. Quod ergo in ordine canum se reputat, reverentia est; quasi dicat: Pro gratia habeo etiam in numero canum esse, & non ab aliena, sed à propria mensa comedere dominantis. Theophylactus (ibidem.) Quia ergo mulier sapientissime respondebat, obtinuit,

(1) Al. electionis. (2) Al. nec de se &c.

quod optabat: unde sequitur: *Et ait illi &c.* Non dixit, Virtus mea te salvem fecit; sed *Propter hunc sermonem, idest propter fidem tuam, quæ hoc de sermone demonstratur, vade: exiit dæmonium à filia tua.*

Sequitur: *Et cum abiisset in domum suam invenit puellam jacentem supra lectum, & dæmonium exiisse.* Beda (cap. 30. in Marc. in fine illius.) Propter humilem enim matris, fidelemque sermonem filiam deseruit dæmonium: ubi datur exemplum catechizandi, & baptizandi infantes: quia videlicet per fidem, & confessionem parentum in baptismo liberantur à diabolo parvuli, qui (2) necdum per se sapere, vel aliquid agere boni possunt, vel mali. Hieronymus (Mar. 7. ante med. Comm.) Mystice autem mulier gentilis quæ pro filia rogat, est mater nostra Romana Ecclesia. Nata ejus dæmoniaca barbarica est occidentalis natio; cuius fides fecit de canis ovem, Micæ autem spiritualis intellectus, non panem intracum litteræ sumere cupit. Theophylactus (Mar. 7. à med. Comm.) Unusquisque etiam nostrum cum peccat, mulier est anima ejus. Infirmam vero filiam habet hæc anima actus pravos; quæ verò dæmonium habet: nam actus pravi dæmonum sunt. Peccatores autem existentes nuncupantur catuli impleti immunditiis. Propter quod non fumus digni panem Dei recipere, aut participes fieri immaculatum mysterium Dei. Si vero cognoscentes nosmetipsos per humilitatem esse catulos, confiteamur peccata nostra, tunc sanabitur filia, scilicet operatio prava.

(d) Theophylactus (à medio Comm.) In Gentilium locis moram Dominus facere non volebat, ne occasionem Judæis daret ut transgressorem legis eum æsumarent, quod se Gentibus admiscebat; & ideo confestim revertitur: unde dicitur: *Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilæa inter medios fines Decapoleos.* Beda (cap. 31. in princ.) Decapolis est regio decem urbium trans Jordanem ad orientem contra Galilæam. Quod ergo dicitur quod Dominus venit ad mare Galilæa inter medios fines Decapoleos, non ipsos fines Decapolis intrasse significat: neque enim mare navigasse dicitur: sed potius ad mare usque venisse, atque ad ipsum pervenisse locum qui medios fines Decapolis longe trans mare positos respiciebat.

Sequitur: *Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum ut imponat illi manum.* Theophylactus (Mar. 7. aliq. ante fin. Comm.) Quod recte post dæmoniaci liberationem ponitur: ex dæmonio enim talis passio erar.

Sequitur: *Et apprehendens eum de turba, sec-*

sum, misit digitos suos in auriculam ejus. Chrysostr. (1) (c) Scortum à turba oblatum surdum, & mutum apprehendit, ut divina miracula non faceret manifeste, insinuans nos vanam gloriam eicere, & tumorem: nihil enim est ex quo aliquis sic miracula operetur, sicut si humilitatem colat, & modestiam sequatur. Misit vero dignos in auriculam, potens verbo sanare, ut offenderet quod divina virtute (2) ditatum erat corpus divinitati unitum, & operatio ejus. Quia enim propter transgressionem Adæ, natura humana multam incurerat passionem, ac membrorum, & sensuum læsionem, veniens Christus in seipso perfectionem demonstravit humanæ naturæ; & propter hoc digitis aures aperuit, & sputo loquelam dedit: unde sequitur: *Et expuens ter guttur linguam ejus.* Theophylactus (Mar. 7. non remore à fine Comment.) Ut scilicet ostenderet quod omnia membra sacri corporis ejus divina existunt, & sancta; sicut & sputum quod vinculum linguæ dissolvit. Etenim omne sputum superfluitas est; sed in Domino omnia divina fuerunt.

Sequitur: *Et suspiciens in Cælum ingemuit, & ait: Ephpheta, quod est adaperire.* Beda (cap. 31. à med.) Suspexit quidem in Cælum, ut inde mutis loquelam, inde auditum surdis, inde cunctis infirmantibus medelam doceret esse querendam. Ingemuit autem, non quia ipsi opus esset cum gemitu petere à Patre, qui cuncta petentibus donat cum Patre; sed ut nobis gemendi daret exempla, cum vel pro nostri, vel pro nostrorum erratibus proximorum supernæ pietatis præsidia invocamus. Chrysostr. (b) Simul etiam ingemuit, nostram causam suscipiens in seipso, & naturæ miserum humanæ, videns miseriam in quam humanum genus inciderat. Beda (cap. 31. à med.) Quod autem ait, *Ephpheta*, idest adaperire, ad aures proprie pertinet; aures enim ad audiendum aperiendæ, lingua vero, ut loqui posset, à retinaculis erat suæ tarditatis solvenda: unde sequitur: *Et statim aperta sunt aures ejus, & factum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur recte:* ubi utraque natura unius & ejusdem Christi manifeste distincta est. Suspicions quidem in Cælum, quasi homo Deum deprecatus ingemuit; sed mox uno sermone quasi potens divina maiestate curavit.

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) In citata Nicolini editione ad marginem legitur: Hæc habet Theophylactus. (2) Al. dicatum. (3) P. Nicolai ponit studiosius.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Quod subjungitur ex Chrysostr. est Victoris Antiocheni ubi supra, verbis paululum immutatis. (b) Immo iterum Victor Antiochenus ubi supra, cum ante dicta mutatione, ac alia serie. (c) Et hoc iterum ex Victore Antiocheno colligitur, ut supra. (d) In Augustino non occurrit; sed apud Bedam, cui absque ullo nomine refert Glossa. (e) Quod ex Glossa subjungitur non est in illa quæ nunc extat.

Sequitur: *Et præcepit illis ne cui dicerent.* Hieronymus (Mar. 7. circa fin. Comment.) Peccatum non in virtutibus gloriandum esse docuit; sed in Cruce, & humiliatione. Chrysostr. (c) Præcepit etiam miraculos occultare, ne ante tempus accenderet Judæos ad homicidium per invidiam perpetrandum. Hieronymus (in fine Comment. in 7. cap. Marc.) Civitas autem in monte posita, undique circumspicua abscondi non potest, & humilitas semper præcedit gloriam: unde sequitur: *Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant.* Theophylactus (in fin. Comment.) Docemur autem ex hoc cum alicui beneficia elargimur, minime applaudimus, & laudes petere; cum vero accepimus beneficia, benefactores prædicare, & laudare, quamvis nolint. Augustinus de Con. Evang. (d) (Lib. 4. cap. 4.) Si autem sciebat eos (sicut ille qui notas habebat, & præsentis, & futuræ hominum voluntates) tanto magis prædicatos, quanto magis ne prædicarent eis præcipiebat; ut quid hoc præcipiebat, nisi piger volebat ostendere quanto (3) gaudiosus, quanto reverentius eum prædicare debeant, quibus jubet ut prædicent, quando illi qui prohibebantur, tacere non poterant? Glossa. (e) Ex prædicatione autem saluatorum à Christo, crescebat admiratio turbarum, & confessio beneficiorum Christi: unde sequitur: *Et eo amplius admirabantur descens: Bene omnia fecit, hoc scilicet, surdos fecit audire, & mutos loqui.* Hieronymus (super iterum exiens de finibus.) Mystice autem Tyrus interpretatur angustia, & significat Judæam, cui Dominus dicit Esai. 28. „Coangulatum est stratum;“ à qua transfert se ad gentes alias. Sidon venatio interpretatur. Fera autem indomita nostra natio est, & mare, quod fluctuosa volubilitas est. Inter medios autem fines Decapoleos, quod interpretatur Decalogi mandata, Salvator ad salvandas Gentes venit. Genus autem humanum per multa membra, quasi unus homo varia peste assumptus, enumeratur in protoplasto; cæcatur dum male vidit, surdus fit cum audit, obmutescit cum loquitur. Deprecatur autem eum, ut imponat illi manum, quia incarnatum fore Dominum multi iusti, & Patriarchæ cupiebant, & optabant. Beda (cap. 31. in Marc.) Vel surdus, & mutus est qui nec aures audiendi verba Dei habet, nec os aperit

L 6

pro loquendis; quales necesse est ut hi qui loqui jam, & audire divina eloquia didicerunt, Domino sanandos offerant. Hieronymus. Scorsum autem semper à turbulentis cogitationibus, & actibus inordinatis, sermonibusque incompositis educitur qui sanari meretur. Digni autem, qui in aures mittuntur, verba, vel dona Spiritus sunt, de quo dicitur Exod. 8., Dignus Dei est hic. Sputum autem divina sapientia est, quæ solvit vinculum laborum humani generis,

(1) Nicolai legit verba.

## CAPUT VIII.

(a) **I**N diebus illis iterum cum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis ait illis: Misereor super turbam: quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducarent. Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt. Et responderunt ei discipuli sui: Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt, Septem. Et præcepit turbæ discumbere super terram: & accipiens septem panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis ut apponerent & apposuerunt turbæ. Et habebant pisciculos paucos; & ipsos benedixit, & jussit apponi. Et manducaverunt, & saturati sunt: & sustulerunt quod superaverat de fragmentis septem sportas: erant autem qui manducaverant quasi quatuor millia: & dimisit eos.

(b) Et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha. Et exierunt pharisæi, & cœperunt conquirere eum eo, quærentes ab illo signum de cælo, & tentantes eum. Et ingemiscens spiritu, ait: Quid generatio ista signum querit? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum. Et dimittens eos, ascendit iterum navim, & abiit trans fretum. Et oblitus fuit panem sumere, & nisi unum panem non habebat secum in navi. Et præcipiebat eis dicens: Videte, & cavete à fermento pharisæorum, & fermento Herodis. Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: Quia panes non habemus. Quo cognito, ait illis Jesus: Quid cogitatis, quia panes non habetis? Nondum cognovistis, nec intelligitis? Adhuc cacatum habetis cor vestrum? Oculos habentes non videtis, & aures habentes non auditis? Nec recordamini quando quinque panes fregi in quinque millia, & quot copiosos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei, Duodecim. Quando, & septem panes in quatuor millia, quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei, Septem. Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis?

(c) Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum ut illum tangeret. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum, & expuens in oculos ejus, impositis manibus suis interrogavit eum si aliquid videret. Et aspiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus; & cœpit videre, & restitutus est, ita ut clare videret omnia. Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam, & si in vicum introieritis, nemini dixeris.

(d) Et ingressus est Jesus, & discipuli ejus castella Casarea Philippi; & in via interrogabat discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines? Qui responderunt illi dicentes: Alii Joannem Baptistam, alii Elsam, alii vero quasi unum de Prophetis. Tunc dicit illis: Vos vero quem me esse dicitis? Respondens Petrus ait ei: Tu es Christus. Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo. Et cœpit docere eos, quoniam oportet Filium hominis pati multa, & reprobari à senioribus, & à summis sacerdotibus, & scribis, & occidi, & post tres dies resurgere: & palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum: Domine propitius esto tibi: nam hoc non erit. Qui conversus, & videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens: Vade retro me satana: quoniam non sapias quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.

(e) Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, denegat semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdidit animam suam propter me, & Evangelium, sal-

viam faciet eam. Quid enim proderit homini, si lucretur totum mundum, & detrimentum animæ suæ faciat? Aut quid homo commutationis dabit pro anima sua? Qui enim me confessus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera, & peccatrice, & Filius hominis confitebitur eum cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis. Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei venientis in virtute.

(a) **T**heophylactus (in princ. Comm. in 8.

cap. Marc.) Postquam Dominus superius miraculum de multiplicatione panum perpetrasset, nunc iterum occasione habita congruenti, adducit simile miraculum operari: unde dicitur: *In diebus illis iterum cum turba esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis ait illis: Misereor super turbam: quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducarent.* Non enim semper circa alimenta miracula faciebat, ne propter cibum ipsum sequerentur. Et nunc igitur hoc miraculum non fecisset, nisi quia videbat turbam periculum immminere: unde sequitur: *Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt.* Beda (cap. 32. sup. illud, *Misereor.*) Quare triduo sustinent de longe venientes? Matthæus plenius dicit sic cap. 15.

Et ascendens in montem sedebat; & accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes multos infirmos, & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos. *Theophylactus* (Marc. 8. in princ. Comment.) Discipuli adhuc non intelligebant, nec virtuti ejus propter priora miracula credebant: unde sequitur: *Et responderunt ei discipuli sui: Unde istos quis poterit hic saturare panibus in solitudine?* Ipse autem Dominus non eos vituperat, ex hoc instruens nos quod non debemus ignorantibus, & non intelligentibus graviter irasci; sed eorum ignorantiam compari: unde sequitur: *Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt, Septem. Remigius* super Matth. Non ideo interrogavit, quia ignoraret quot haberent; sed ut dum illi respondent, *Septem*, quo pauciores essent, eo magis miraculum diffamaretur, & notius feret. Sequitur: *Et præcepit turbæ discumbere super terram.* In superiori refectione supra fenum discubuisse dicuntur; hic vero super terra. Sequitur: *Et accipiens septem panes, gratias agens fregit.* In eo quod gratias egit, nobis reliquit exemplum ut de omnibus donis nobis cælitus collatis, illi gratias referamus. Et notandum, quia Dominus panes non dedit turbæ, sed discipulis; discipuli autem dederunt turbis: sequitur enim: *Et dedit discipulis suis ut apponerent; & apposuerunt turbæ.* Non solum panes, sed & pisciculos benedicens jussit apponi: sequitur enim: *Et habebant pisciculos paucos; & ipsos benedixit, & jussit appo-*

*ni. Et manducaverunt, & saturati sunt. Beda* (cap. 32. in Marc. in princ.) In hac ergo lectione consideranda est in uno eodemque Redemptore nostro distincta operatio divinitatis, & humanitatis, atque Eurycheis error, qui unam tantum in Christo operationem dogmatizare præsumit, procul à christianis finibus expellendus. Quis enim non videat hoc, quod super turbam miseretur Dominus, affectum esse, & compassionem humane fragilitatis? Quod autem septem panibus, & pisciculis paucis quatuor millia hominum satiavit, divinæ opus est virtutis.

Sequitur: *Et sustulerunt quod superaverat de fragmentis septem sportas. Theophylactus* (Marc. 8. sup. *Sustulerunt septem sportas.*) Turbæ comedentes, & saturate non secum tollunt panum reliquias; sed ipsas discipuli sustulerunt, sicut & superius copiosus: in quo secundum historiam discimus quoniam oportet nos his quæ sufficient esse contentos, & non quærere ultra. Deinde numerus manducantium describitur cum dicitur: *Erant autem qui manducaverant quasi quatuor millia: & dimisit eos.* Ubi considerandum est, quod Christus neminem jejunum dimittit: omnes enim vult sua gratia enutrir. *Beda* (cap. 32. paulo à princ.) Hoc vero typice inter hanc refectionem, & illam quinque panum, ac duorum piscium distat, quod ibi litera veteris testamenti spiritali gratia plena significata est; hic autem veritas, & gratia novi testamenti fidelibus ministranda monstrata est. Turba autem triduo Dominum sustinet propter sanationem infirmorum, ut Matthæus narrat, cum electi in fide Sanctæ Trinitatis pro peccatis perseveranti instantia supplicant. Vel quo ad Dominum se opere, locutione, atque cogitatione convertunt. *Theophylactus* (Marc. 8. non procul à princ.) Vel per eos qui per triduum expectant, significat baptizatos. Baptismus enim illuminatio dicitur, & trina submersione perficitur. *Gregorius* 1. Moral. (cap. 9. sup., *Et*, filii ejus ibant, & faciebant convivia: cap. 8. in novis exemp.) Non vult autem eos jejunos dimittere, ne deficient in via: oportet enim quod in prædicatione verbum consolationis accipiant, ne à veritatis pabulo jejuni remanentes in hujus vitæ labore succumbant. *Ambrosius* super Lucam. (a) Bonus quidem Dominus studia exigit, vires ministrat, non vult jejunos dimitte-

EX EDIT. P. NICOL. (a) Cap. 9. Super illud nimirum *Accedentes dixerunt, Dimitte turbas, ut escas inveniant*: non tamen hac eadem serie, sed aliis pluribus interjectis.

tere, ne deficiat in via; hoc est vel in istius cursu vite, vel antequam ad caput vite perveniant, scilicet ad Patrem, & intelligant quod ex Patre Christus est: ne forte cum acceperint, quod natus ex Virgine est, incipiant non Dei virtutem, sed hominis æstimare. Dividit ergo escas Dominus Jesus, & ille quidem vult dare omnibus, negat nemini, dispensator est omnium; sed cum ille panes frangat, ut det discipulis, si tu manus tuas non extendas ut accipias tibi escas, deficiet in via, nec poteris in eum culpam referre qui miseretur, & dividit. *Beda* (cap. 32. super *Quidam ex eis de longe venerunt.*) Qui vero post carnis flagitia, post furta, violentias, & homicidia ad penitentiam redeunt, ad Dominum de longinquo veniunt. Quanto enim quisque plus in pravo opere erravit, tanto ab omnipotente Deo longius recessit; & credentes de gentibus de longe venerunt ad Christum, Judæi vero de prope, qui legis, & Prophetarum erant litteris edocti ex illo. Supra autem in refectioe quinque panum turbæ super fenestram viride discumbebant, hic autem super terram: quia per Scripturam legis desideria carnis comprimere jubemur; in novo autem testamento ipsam quoque terram, ac facultates temporales relinquere præcipimur. *Theophylactus* (aliqui à princ. Comment. 8. cap.) Septem autem panes sunt spirituales sermones: nam septenarius numerus Spiritus Sancti significativus est, qui perficit omnia: in septenario enim numero dierum nostra vita perficitur. *Hieronymus* (in princ. Comment. in 8. cap. Marc.) Vel septem panes dona sunt Spiritus Sancti; fragmenta panum mystici intellectus sunt hujus septimanæ. *Beda* (cap. 32. à med. illius.) Quod enim Dominus panes fregit, aperitionem significat sacramentorum; quod gratias egit, ostendit quantum de salute humani generis congaudeat; quod panes discipulis dedit ut turbæ apponerent, significat quia spiritualis dona scientiæ tribuit Apostolis, & per eorum ministerium voluit Ecclesiæ suæ (1) vitæ cibaria distribui. *Hieronymus* (Marc. 8. paulo à princ. Comment.) Pisciculi benedicti, libri sunt novi testamenti: quoniam piscis aisi partem Dominus resurgens postulat; vel in pisciculis sanctos (2) accipimus, quorum Scriptura novi testamenti fidem, vitam, & passionem continet: qui è turbulenti hujus sæculi fluctibus erepti, refectioem nobis internam exemplo suo præbuerunt. *Beda* (cap. 32.) Quod autem turbis saturatis supererat, Apostoli tollunt: quia altiora perfectionis præcepta, quæ turba nequit attingere, ad illos pertinent qui generalem populi Dei conversationem transcendunt: & tamen tur-

(1) *Al.* omittitur vitæ. (2) *Al.* accepimus. (3) *Al.* superabundabant.

ba saturata esse memoratur: quia etsi sua relinquere nequeant, neque explere, quod de virginibus dicitur; tamen audiendo mandata legis Dei ad vitam perveniunt æternam. *Hieronymus* (parum à princ. Comment. in 13. cap. Marc.) Septem sportæ, septem Ecclesiæ. Quatuor millia, annus est novi testamenti, cum quatuor temporibus. Nunc autem quatuor millia sunt, ut in ipso numero docerent evangelicis se passos esse cibariis. *Theophylactus* (al. à princ. Comment. in 8. cap. Marc.) Vel quatuor millia sunt, id est quatuor virtutibus perfecti; & propter hoc veluti fortiores plura comedentes, pauciora reliquerunt. In isto enim miraculo septem sportæ remanent; in miraculo autem quinque panum duodecim cophini: quia quinque millia erant, id est quinque sensibus fervientes, & propter hoc non poterunt comedere; sed paucis contenti fuerunt: unde multæ (3) superabundant reliquæ fragmentorum.

(b) *Theophylactus* (sup. *Et mox ingressus est in navim.*) Postquam Dominus operatus est miraculum panum, statim in alium secedit locum, ne propter miraculum, ipsum turbæ caperent, ut facerent Regem; unde dicitur: *Et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha, Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 51.) In Matthæo autem cap. 16. legitur, quod „venit in fines Magedam.“ Non autem dubitandum est eundem locum esse sub utroque nomine: nam plerique codices non habent, etiam secundum Marcum, nisi *Magedam*.

Sequitur: *Et exierunt Pharisei, & cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo signum de Cælo, tentantes eum.* *Beda* (cap. 33. parum à princ.) Pharisei siquidem signum quærunt de Cælo, ut qui multa hominum millia secundo de paucis panibus saturavit, nunc in exemplo Moyfi, manna cælis missio, & per omnia pascim disperso, populum omnem in ultimo tempore reficiat: quod in Evangelio Joannis quærunt dicentes cap. 6. „Quod signum facis, ut videamus, & credamus tibi? Patres nostri manducaverunt „manna in deserto, sicut scriptum est: Panem „de Cælis dedit eis manducare.“ *Theophylactus* (Marc. 8. super *Quærentes signum.*) Vel quærunt signum de Cælo, scilicet ut Solem, & Lunam siferent, grandinem peterent, & aerem immutarent. Credebant enim quod de Cælo signa facere non poterat, sed quod in Beelzebub solum poterat facere signum in terra. *Beda* (cap. 33.) Sicut autem turbam supra credentem refecturus gratias agebat, ita nunc ob stultam phariseorum petitionem gemit: quia humanæ naturæ circumferens affectus, sicut de hominum salute lætatur, ita

super eorum dolet erroribus: unde sequitur: *Et ingemiscens spiritus ait: Quid generatio ista signum quærunt? Amen dico vobis, si dabitur generationi ista signum; id est, non dabitur, juxta illud in Psalmi. 88. „Semel juravi in sancto meo, si „David mentiar;“ id est, non mentiar David. Augustinus* de Con. Evang. (Lib. 2. cap. 51.) Non autem moveat quod Marcus non dicit responsum esse quærentibus signum de cælo idem quod Matthæus de Jona; sed ait Dominum respondisse, *Signum non dabitur ei:* intelligendum est enim quale petebant, hoc est de cælo. Prætermisit autem dicere de Jona, quod Matthæus commemoravit. *Theophylactus* (ubi supra.) Ideo autem eos Dominus non exaudit, quia aliud est tempus signorum cælestium, scilicet tempus adventus secundi, cum virtutes calorum commovebuntur, & luna non dabit lumen suum. Tempore autem primi adventus non fiunt talia, sed omnia mansuetudine plena. *Beda* (cap. 33. ante med.) Non etiam dandum erat cælestis signum generationi tentantium Dominum. Ceterum generationi quærentium Dominum signum de cælo ostendit, quando cœrentibus Apostolis ascendit in cælum.

Sequitur: *Et dimittens eos, ascendit iterum navim, & abiit trans fretum.* *Theophylactus* (sup. illud, *Et relictis illis.*) Dimittit quidem Dominus phariseos quasi incorrectos: nam ubi spes est correctionis, ibi morandum est; ubi vero malum incorrigibile est, inde recedendum.

Sequitur: *Et oblitii sunt panem sumere, & nisi unum panem non habebant secum in navim.* *Beda* (cap. 33. in med.) Quærunt autem aliquis: Quomodo panes non habebant qui statim impletis septem sportis ascenderunt in naviculam? Sed Scriptura testatur, quod oblitii sunt eos secum tollere: quod indicium est quam medicam carnis curam habere in reliquis, quibus ipsa testiendi corporis necessitas intentione (1) dominici comitatus mente excellerat. *Theophylactus* (super *Oblitii sunt sumere panes.*) Dispersative etiam panes sumere discipuli sunt oblitii, ut reprehensii à Christo, fierent meliores, & ad virtutis Christi notitiam pervenirent: sequitur enim: *Et præcipiebat eis, dicens: Videte, & cavete à fermento phariseorum, & fermento Herodis.* *Chrysostomus*, (a) Matthæus dicit cap. 16. „A fermento phariseorum, & sadduceorum; (2)“ Lucas vero cap. 12. phariseorum solum. (3) Tres ergo phariseos nominant, quasi principales; Matthæus vero, & Marcus sibi secunda-

*S. Thom. Op. Tom. VIII.*

(1) *Al.* Domini. (2) *P. Nicolai* hic addit Marcus vero *Phariseorum, & Herodis.* (3) *Idem* legit Tres ergo illi Evangelistæ phariseos nominant, quasi principales &c.

*Ex edit. P. Nicol.* (a) *Ex* hic Chrysostomus Victorio Antiocheno substituitur. (b) Nihil tale in Glossa quæ nunc extat.

rios diviserunt. Congruè autem Marcus posuit *Herodis*, quasi relictis à Matthæo herodianis in supplementum narrationis ipsius. Hoc autem dicens, paulatim inducit discipulos ad sensum, & fidem. *Theophylactus* (super *Cavete à fermento phariseorum.*) Fermentum phariseorum, & herodianorum vocat doctrinam eorum, quasi damnosam, & corruptivam, & malitia veteri plenam. Herodiani enim doctores erant, qui Herodem Christum esse dicebant. *Beda* (cap. 33. in Mar. à med. illius.) Vel fermentum phariseorum est decreta legis divinæ traditionibus hominum postponere: legem verbis prædicare, & factis impugnare; Dominum tentare, doctrinæ ejus, aut operibus non credere. Fermentum autem Herodis est adulterium, homicidium, temeritas jurandi, simulatio religionis, & odium in Christum, & præcursum ejus. *Theophylactus* (parum ante med. Comment.) Ipsi autem discipuli de fermento panum dixisse Dominum putaverunt: unde sequitur: *Et cogitabant ad alterutrum, dicentes, Quia panes non habemus.* Hoc autem dicebant, quasi non intelligentes Christi virtutem, quod poterat panes facere ex non ente: unde Dominus eos reprehendit: sequitur enim: *Quo cognito Jesus ait illis: Quid cogitatis, quia panes non habetis? Beda* (cap. 33. non proc. à fin.) Per occasionem autem præcepti quod Salvator jussit, dicens: *Cavete à fermento phariseorum, & fermento Herodis:* docet eos quid significet quiaque panes, & septem, de quibus subdit: *Nec recordamini quando quinque panes fregi? &c.* Si enim fermentum prædictum traditiones perverfas significaret; quare cibi quibus nutritus est populus Dei, non veram doctrinam significet? (c) *Glossa.* (b) Post refectioem turbarum Evangelista de illuminatione cæci subjungit, dicens: *Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum ut illum tangeret.* *Beda* (cap. 34. in princ.) Scientes quia tactus Domini sicut leprosum mundare, ita cæcum illuminare valeret.

Sequitur: *Et apprehensa manu cæci, educit eum extra vicum.* *Theophylactus* (parum ante med. Comm.) Videtur namque Bethsaida multa infidelitate fuisse infecta: unde Dominus expròbrat ei Matth. 11. „Vae tibi Bethsaida: quia „si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes quæ „factæ sunt in vobis, olim in gylcio, & cinere „penitentiam egissent.“ In hac ergo adductum cæcum extra vicum educit: non enim erat vera adducentium fides.

M 6

Se-

Sequitur: *Et expuens in oculos ejus, imposuit manus suis, inierogavit eum si aliquid videret.* Chrysoſtomus. (a) Spiritus quidem, & manus imponit cæco, volens ostendere quod verbum divinum operationi adjunctum mirabiliter proficit. Manus enim operationis est ostensiva, sputum vero setmonis est ore prolata. Interrogat autem si aliquid videret, quod in aliis sanatis non fecit, significans propter imperfectam adducentium fidem, ac ipsius cæci, oculos ejus non esse omnino apertos: unde sequitur: *Et aspiciens ait: Vides homines velut arbores ambulantes.* Quia enim in infidelitate adhuc detinebatur, obscure se videre homines declarabat. *Beda* (cap. 34. à med.) Formam quidem corporum inter umbras aspiciens, sed nulla membrorum lineamenta, vixit adhuc caligante, discernere valens, quales condense arbores à longe spectantibus, vel in luce nocturna solent apparere; ita ut nec facile arbor, an homo sit, possit discerni. *Theophylactus* (circ. med. Comm.) Ideo autem non statim eum (1) perfecte facit videre, sed in parte, quia non perfectam fidem habebat: nam secundum fidem datur medella. *Chrysoſtomus* (b) Deducit autem eum ab initio sensus redditi in fidei apprehensionem; & sic fecit eum perfecte videre: unde sequitur: *Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus, & cepit videre.* Et postea subiungit: *Et restitutus est, ita ut clare videret omnia;* sensu scilicet, & intellectu perfecte curatus.

Sequitur: *Misit eum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam; & si in vicum introieris, nemini dixeris.* *Theophylactus* (ubi supra.) Hoc quidem præcepit ei, quia infideles erant, ut dictum est, ne forte ab eis in anima læderetur, & ipsi non credentes gravitus erimen incurrant. *Beda* super Lucam (cap. 34. in fin.) Vel exemplum suis tribuit ne de his quæ faciunt mirandis, favorem vulgi requirant. (c) Mystice autem Bethsaida domus vallis interpretatur, id est mundus, qui est vallis lachrymarum. Adducunt autem ad Dominum cæcum; id est qui non videt quid fuit, quid est, & quid erit. Rogant illum, ut eum tangeret. Quis enim est qui tangitur, nisi qui compungitur? *Beda* (cap. 34. inter princ.

& med.) Tangit enim (a) nos Dominus cum mentem astatu sui spiritus illustrat, atque ad agnitionem nos propriæ infirmitatis, studiumque bonæ actionis accendit. Apprehendit manum cæci, ut eum ad executionem bonæ operationis confortaret. *Hieronymus.* *Et eduxit eum extra vicum;* id est viciniam malorum. Exiit autem in oculos ejus, ut videret voluntatem Domini per statum Spiritus Sancti. Impositis autem manibus interrogat cum si videret: quia per opera Domini videtur majestas ejus. *Beda* (cap. 34. circ. med.) Vel expuens in oculos cæci imponit manus suas, ut videret: quia cæcitatem humani generis & per invisibilia dona, & per sacramenta assumptæ humanitatis exterit. Sputum etiam, quod de capite hominis procedit, gratiam Spiritus Sancti designat. Sed quem uno verbo totum simul curare poterat, paulatim curat, ut magnitudinem humanæ cæcitatatis ostendat, quæ vix, & quasi per gradus ad lucem redeat: & gratiam suam nobis indicat, per quam singula perfectionis incrementa adjuvat. Quisquis autem ita longi temporis obscuritate depressus est, ut inter bonum & malum discernere nesciat, quasi ambulantes homines instar arborum cernit, quia facta multitudinis absque luce (3) discretionis videt. *Hieronymus* (sup. Et aspiciens ait.) Vel videt homines velut arbores, quia omnes homines existimat se superiores. Iterum autem manus posuit super oculos ejus, ut videret clare omnia; id est, per opera visibilia intelligeret & quæ oculus non vidit, & clarum animæ suæ statum post rubiginem peccati, mundi cordis oculo (4) contueretur. *Misit eum in domum suam,* id est (5) in cor suum, ut videret in se quod ante non vidit. Non enim putat homo desperans de salute omnino posse quod illuminatus facile potest perficere. *Theophylactus* (circ. med. Comment.) Vel postquam sanavit, mittit in domum: nam domus uniuscujusque nostrum, cælum est, & mansiones quæ sunt in eo. *Hieronymus* (super Et si in vicum introieris.) Dicit autem ei: *Et si in vicum introieris, nemini dixeris;* id est, vicinis cæcitatem tuam semper enarra, non virtutem.

(d) *Theophylactus* (par. à med. Comment.)

Post

- (1) *Nicolai* habet per fidem. (2) *Al.* eos Dominus cum mente &c. (3) *Al.* dilectionis. (4) *Al.* contempletur. (5) *Al.* deest in.
- EX EDIT. P. NICOL. (a) Immo potius Victor Antiochenus ubi supra, sed verbis paululum immutatis; & similia quoque *Theophylactus* habet. De *Theophylacto* notatum pridem fuerat in editione *Nicolini*. (b) Sive iterum Victor Antiochenus cum ante dicta mutatione, non sensus quidem, sed verborum. (c) *Hieronymus;* id est Auctor Commentarii super Marcum, qui sub *Hieronymi* nomine circumfertur, & cuius verba prius notabantur ex *Beda*. Sed quod hic *Bethsaida* interpretatur domus vallis, à vero *Hieronymo* de Nominibus Hebraicis in *Matth.* aliter explicatur, nempe vel *Domus frugum*, vel *Domus ventorum*; ut & eadem modo apud *Beda*, qui tamen addit quoque domum vallis. Nec male porro domus vallis omnia ista conveniunt.

Postquam eduxit longe à Judæis discipulos suos, tunc de seipso interrogat, ut non timentes Judæos respondeant veritatem: unde dicitur: *Et ingressus est Jesus, & discipuli ejus in castellum Casarea Philippi.* (a) *Hieronymus* (super *Matth.* cap. 16.) *Philippus* iste fuit frater Herodis, de quo supra diximus, qui in honorem Tiberii Cæsaris Casarea Philippi, quæ nunc Paneas dicitur appellavit.

Sequitur: *Et in via interrogabat discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines?* *Chrysoſtomus.* (b) Sciens quidem interrogat, quia (1) decebat ut discipuli quandoque etiam melius laudarent quam turbæ. *Beda* (cap. 35. in princ.) Unde primum (2) hominum sententiam interrogat, discipulorum fidem exploraturus, ne illorum confessio vulgi videretur opinione firmata.

Sequitur: *Qui responderunt illi, dicentes: Alii Joannem Baptistam, alii Eliam, alii vero quasi unum de Prophetis.* *Theophylactus* (Marc. 8. à med.) Multi namque putabant quod Joannes à mortuis resurrexisset, sicut & Herodes credebat, & post resurrectionem suam miracula perpetrasset. Postquam vero ab eis sciscitatus est aliorum suspitionem, ipsos interrogat quid de hoc in eorum mente consistat: unde sequitur: *Tunc dicit illis: Vos vero quem me esse dicitis?* *Chrysoſtomus* (hom. 55. in *Matth.* super illud, "Vos autem quem me esse dicitis?") Ex ipso autem interrogationis modo, in majorem eos reducit sensum ad majus aliquid æstimandum de eo, ne cum turbis conveniant. Quid vero vertex discipulorum, os Apostolorum, interrogatis omnibus; responderit, manifestatur cum subditur: *Respondens Petrus ait ei: Tu es Christus.* *Theophylactus* (Marc. 8. à med. illius.) Constat (3) quidem illum esse Christum à Prophetis denuntiatum. Sed quid ad confessionem Petri responderit Dominus, & qualiter ipsum beatificavit, Marcus Evangelista pertransit, he hujusmodi narrando, Petro suo magistro gratiam prestare videretur; *Matthæus* autem hoc plane pertractat. *Origenes* super *Matth.* (tract. 1. in *Matth.* à med.) Vel quia Marcus, & Lucas scripserunt Petrum respondentem, *Tu es Christus*, non adjectives quod positum est in *Matthæo*, "Filius Dei vivi;" propterea non

scripserunt ad confessionem relatam beatitudinem.

Sequitur: *Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo.* *Theophylactus* (à med. Comment.) Volebat enim interim suam gloriam occultare, ne multi scandalizarentur de eo, & penam mererentur majorem. *Chrysoſtomus.* (c) Vel ut scandalo crucis completo puram insigat fidem in mente eorum: (4) prius enim passione perfecta, circa ascensionem dixit eis *Matth.* 28. "Euntes, res docete omnes gentes." *Theophylactus* (Marc. 8. à med. Comment.) Postquam autem Dominus confessionem discipulorum acceptavit dicentium verum Deum; tunc ipsis revelat crucis mysterium: unde sequitur: *Et cepit docere eos quoniam oportet Filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus, & à Summis Sacerdotibus, & scribis, & occidi, & post tres dies resurgere: & palam verbum loquebatur, scilicet de futura passione.* Non autem intelligebant discipuli ordinem veritatis, neque resurrectionem comprehendere poterant; sed putabant esse melius quod non pateretur. *Chrysoſtomus.* (d) *Petrus* dixerat tamen hoc eis Dominus hac occasione, ut ostenderet quod oporteret post crucem, & resurrectionem Christum à rebus predicari. *Rufinus* Petrus existens fervidus, solus de his sumit audaciam disputandi: unde sequitur: *Et apprehendens eum Petrus, cepit increpare eum: Domine propitius esto tibi: nam hoc non erit.* *Beda* (cap. 35.) Hoc autem amantis affectu, & optantis dixit; quasi diceret: Hoc non potest fieri, nec recipiunt aures meæ ut Dei Filium occidendus sit. *Chrysoſtomus* (hom. 55. in *Matth.* super illud, "Propitius esto tibi.") Quid est autem hoc quod Petrus, qui revelatione Patris potius erat, sic velociter cecidit, & instabilis est effectus? Sed dicimus non esse mirum si hoc ignoravit qui de passione revelationem non accepit. Quod enim Christus Filius Dei vivi esset, revelatione didicerat; mysterium vero crucis, & resurrectionis nondum ei fuerat revelatum. Ipse vero ostendens quod opponeret eum ad passionem venire, Petrum increpavit: unde sequitur: *Qui convulsus, & videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens: Vade retro me Satana. Theophylactus* (super illud, *Abi post me Satana.*) Dominus namque volens ostendere quod prop-

- (1) *Al.* dicebat. (2) *Al.* hominem. (3) *Al.* Confertur quidem. (4) *Al.* prius enim perfecta circa ascensionem &c.

EX EDIT. P. NICOL. (a) *Beda;* quem indicat etiam *Nicolini* editio his verbis ad marginem, Hæc omnia habentur in *Beda*. (b) Immo Victor Antiochenus ubi supra, & verbis quoque, sicut etiam supra, paululum immutatis. (c) Quod subiungitur ex *Chrysoſtomo*, partim ex illo poti potest hom. 55. in *Matth.* & ex *Victore* Antiocheno super hunc locum; partim ex *Beda* quoad posteriorem appendicem. (d) Quod iterum ex eodem *Chrysoſtomo* sequitur, est expressus ex *Victore* Antiocheno; et si *Beda*, & *Chrysoſtomus* id indicent.

ter salutem hominum debebat eius passio fieri, & quod solus satanas Christum pati volebat, ut genus non saluaretur humanum, Petrum satanam nominavit, eo quod separet quæ sunt satanæ, nolens Christum pati, sed adversans eadem: satanas enim adversarius interpretatur. *Chrysostomus*. (a) Dæmoni autem ipsum tentanti non ait, Vade post me, sed Petro dicit: *Vade retro me*; id est sequere me, & voluntario meæ passionis consilio non resistas.

Sequitur: *Quoniam non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum*. *Theophylactus* (ubi supra.) Quæ hominum sunt dicit Petrum sapere, secundum quod affectiones carnales quodammodo sapiebat: volebat enim Petrus quod sibi Christus præstaret requiem, & non crucifigeretur.

(e) *Beda* (cap. 36. in Marc. in princ.) Postquam discipulis mysterium suæ passionis, & resurrectionis ostendit, hortatur eos una cum turba ad sequendum suæ passionis exemplum: unde sequitur: *Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, denegat semetipsum*. *Chrysostomus* (b) (hom. 56. in Matth. in princ.) Quasi diceret ad Petrum: Tu quidem increpas me passionem sustinere volentem; ego autem dico tibi, quod non solum prohibere me pari nocivum est; sed neque salvari poteris, nisi ipse moriaris. Dicit autem, *Si quis vult me sequi, quasi dicat: Ad bona voco, quæ quis velle debet, non ad mala, & gravia, ut cogaris. Qui enim infert violentiam frequenter impedit; qui vero auditorem in libertatem dimittit, magis attrahit ipsum. Aliquis autem abnegat semetipsum, cum nullam sui corporis curam habet, ut sive flagelletur, sive aliquid simile patiat; sustineat patienter. *Theophylactus* (super *Abnegat semetipsum*.) Nam sicut qui abnegat alterum, videlicet fratrem, aut patrem, (1) quamvis ille vulneretur, & moriatur, non compatitur, neque condolet ei; sic & nos debemus spernere corpus nostrum, ut si vulnerari contingant, vel aliquid simile pati, non curemus. *Chrysostomus* (hom. 56. in Matth. paul. à princ.) Non autem ait, quod parcas sibi ipsi, sed, quod amplius est, quod abneget semetipsum, quasi nihil commune ad se habeat, sed periculis exponat, & circa ea sic disponatur, ac si alius pateretur; & hoc est sibi ipsi parcere:*

*Aut*  
(1) *Al.* quamvis vulnerentur, & moriantur, non compatitur, nec irritatur; sic &c. (2) *Al.* committitur esse. (3) *Al.* affligitur.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Immo potius Victor Antiochenus ubi supra. (b) Quamvis iterum expressius est Victor Antiocheno super hunc locum sumi potest. Sed quod sequitur infra est expressius Chrysostomi, quamvis & à Victore indicetur. (c) Quod subjungitur ex *Beda*, mutatum est ex Gregorio hom. 32. in Evang. (d) Quod sequitur ex Chrysostomo, tum ex illo, tum ex Victore Antiocheno colligitur.

quia patres tunc liberis suis ignoscunt, cuncti tradentes eos doctoribus, illis iubent non parci. Usquequo autem oportet seipsum abnegare, ostendit cum subdit: *Et tollat crucem suam*; quasi dicat: Usque ad mortem exprobatissimam. *Theophylactus* (super *Et tollat crucem suam*.) Nam tunc crux exprobatissimam videbatur, quia in ea malefici figebantur. *Hieronymus* (in fin. Com. in 8. cap. Mar.) Vel aliter. Sicut gubernator peritus tempestatem in tranquillitate præcavens, nautas suos vult (2) esse paratos; ita & Dominus dicit: *Si quis vult me sequi, denegat semetipsum*; id est, alter ex altero fiat. *Beda* (c) (cap. 35. paulo à princ.) Tunc enim nos ipsos obnegamus cum vitamus quod per vetustatem fuimus, & ad hoc nitimur quod per novitatem vocamur. Crux autem tollitur cum aut per abstinentiam (3) afficitur corpus, aut per compansionem proximi affligitur animus. *Theophylactus* (sup. illud, *Et sequatur me*.) Quia vero post crucem virtutem aliam nos habere oportet, adiecit, *Et sequatur me*. *Chrysostomus* (d) (homil. 56. in Matth.) Hoc autem dicit, quia contingit aliquem patientem non sequi Christum cum scilicet aliquis non patitur propter Christum; sequitur enim Christum qui post eum ambulat, qui morti ejus se conformat, Principes etiam, & potestates contempnens, sub quibus ante Christi adventum peccabat. Sequitur: *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdidit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet eam*; quasi dicat: Hæc vobis mando quasi vobis parens: etenim qui filio suo parcat, perdit eum; qui vero non parcat, salvat. Oportet ergo nos esse ad mortem continue præparatos. Si enim in materialibus præliis qui paratus est ad mortem melior est aliis, nullo post mortem eum resuscitare valente, multo magis in spiritualibus præliis, cum spes tanta resurrectionis existat, quod qui ponit animam suam in mortem, salvam faciet eam. *Remigius*. Anima autem hoc loco intelligenda est vita præsens, non autem ipsa substantia animæ. *Chrysostomus* (hom. 56. ubi supra par. ante med.) Quia ergo dixerat: *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam*; ne quis perditionem hanc, & salutem illam æstimet æqualem, subiungit: *Quid enim proderit homini, si lucratum totum mundum, & detrimentum faciat anime sue?*

*Aut*  
(1) *Al.* quamvis vulnerentur, & moriantur, non compatitur, nec irritatur; sic &c. (2) *Al.* committitur esse. (3) *Al.* affligitur.

*Aut quam commutationem dabit homo pro anima sua?* quasi dicat: Ne dicas quoniam animum suum salvavit qui crucis es fugit pericula: quando enim cum anima sua, id est vita ista, lucratur aliquis orbem terræ, quid amplius erit ei, anima pereunte? Numquid aliam habet animam pro anima dare? Pretium enim pro domo potest aliquis commutare; animam vero perdens, aliam animam dare non potest. Cautè autem dicit: *Aut quam commutationem dabit homo?* Deus enim propter nostram salutem dedit commutationem pretiosum sanguinem Jesu Christi. *Beda* (cap. 36. à med.) Vel hoc dicit, quia persecutionis tempore ponenda est anima; pacis autem tempore frangenda sunt desideria terrena: quod significat cum dicit: *Quid enim proderit homini?* &c. Plerumque autem verecundiæ usu præpedimur, ut rectitudinem quam servamus in mente, non exprimere valeamus in voce; & ideo subditur: *Qui enim me confusus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera, & peccatrice, & Filii hominis constitutur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis. *Theophylactus* (non procul à fin.) Non enim est sufficiens fides quæ solum in mente consistit, sed oris confessionem Dominus requirit; sanctificata enim per fidem anima, debet & corpus per confessionem sanctificari. *Chrysostomus*. (c) Qui autem hoc didicit, subiecit se cum desiderio ad hoc quod sine confessione Christum confiteatur. Dicitur autem adultera generatio, quæ Deum verum animæ sponsum dereliquit; & non est secuta Christi doctrinam; sed demonibus prostrata, semina impietatis suscepit, propter quod & peccatrix dicitur. Qui ergo inter hos Christi dominationem negaverit, & verba Dei in Evangelio revelata, dignam impietatis penam suscipiet, audiens in secundo adventu Matth. 7. „ Non novi vos. “ *Theophylactus* (ubi supra.) Qui ergo (1) confessus fuerit crucifixum esse suum Deum, & ipse confitebitur illum, non hic ubi Christus reputatur pauper, & miser, sed (2) in gloria, & cum multitudine Angelorum. *Gregorius* in hom. (32. in Evang.) Sunt autem nonnulli qui*

Christum ideo constentur, quia cunctos Christianos esse conspiciunt. Non ergo ad probationem fidei vox sufficit quam descendit à verecundia professio generalitatis. Pacis ergo tempore est illud, ubi ostendamur (3) nobis. Veremur sæpe à proximis despici, dedignamur injurias verbi tolerare. Si contigerit proterius fortasse cum proximo, erubescimus proterius satisfacere: cor quippe carnale dum hujus vitæ gloriam quaerit, humilitatem respuit. *Theophylactus* (ubi supra.) Quia vero de sua gloria dixerat, volens ostendere quod non inania promittebat, subiungitur: *Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei venientis in virtute*; ac si diceret: Quidam, id est Petrus; & Jacobus, & Joannes, non gustabunt mortem, donec eis ostendam in transfiguratione cum qua gloria venturus sim in secundo adventu: non enim erat aliud transfiguratio, nisi secundi adventus prænuntiatio, in quo & ipse Christus, & sancti lucebunt. *Beda* (cap. 36.) Pia vero provisione factum est, ut, contemplatione semper præsentis gaudii ad breve momentum delibata, tortius adversa tolerarent. *Chrysostomus* (hom. 57. in Matth.) Non autem eorum qui ascensum erant nomina declaravit, ne reliqui discipuli aliquid paterentur humanum; prædicit autem, ut doctiores circa hujusmodi contemplationem fiant. *Beda* (cap. 37.) Vel regnum Dei præiens Ecclesia vocatur. Aliqui autem ex discipulis usque adeo in corpore victuri erant ut Ecclesiam constructam conspicerent, & contra mundi gloriam erectam. Discipulis enim rudibus de præsentis vita aliquid promittendum fuit, ut possent robustius in futuro solidari. *Chrysostomus*. (b) Myrtice autem vita Christus est; mors vero diabolus. Gustavit autem mortem, qui peccatis immoratur: adhuc omnis homo habens dogmata bona, aut prava, mortis, aut vitæ panem degustat. Et quidem minus malum est videre mortem; malum autem est eam gustare; sed adhuc pejus eam sequi; pessimum autem ei supponi.

S. Thom. Op. Tom. VIII.

N 6

CA-

(1) *Al.* confusus, item infra confundet. (2) *Al.* cum gloria. (3) *Al.* vobis.  
EX EDIT. P. NICOL. (a) Immo potius Victor Antiochenus ubi supra, excepto initio, pro quo sic habet: *Neque enim frustra nec sua gratia inungit, sed ut ore libero cum profitemur cum majore dilectionis affectu, adeoque illustriores evadamus*. (b) Quod ex Chrysostomo subjungitur, sumi potest proterius ex Origene tract. 3. in Matth. nec insinuat Chrysostomus.